



# Disputatio juridica inauguralis de obligationibus ex consensu

<https://hdl.handle.net/1874/341897>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
 I N A U G U R A L I S,  
 D E

# Obligationibus ex Consensu.

*Q V A M,*  
 PRÆSIDE DEO OPT. MAX.  
*Ex autoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimæque  
 Facultatis JURIDICÆ Decreto,*  
 PRO GRADU DOCTORATUS,  
 Summisque in UTROQUE JURE honoribus &  
 Privilegiis ritè, & legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

JOHANNES MOUCHON, DELPHENSIS,

*Ad diem 13. Aprilis, horâ locoque solius.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
 Typographi, clc Icc LXXXVIII.

*Nobilissimis, Prudentissimis,  
Consultissimis DOMINIS,*

D. THEODORO ab HOGENDORP,  
J. U. D. Serenissimi Principis Auriaci  
Consiliario, & Rationum Magistro,  
nec non Urbis & Dominii Steenbergæ  
Satrapæ, &c. &c. &c. Tutori suo ho-  
noratissimo.

D. GULIELMO ab HOGENDORP,  
J. U. D. Florentissimæ Urbis Rotero-  
damensis Scabino, ut & Territorii Prin-  
celandiæ Prætori, aggerum Præfecto,  
& Quæstori. Cognatis suis spectatissi-  
mis, omni honore prosequendis,

*Hanc disputationem Inauguralem  
Devoissimo animo*

Dicat ac consecrat  
JOHANNES MOUCHON,  
Auth. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
OBLIGATIONIBUS  
CONSENSU.

THEISIS I.



Utua contrahentium voluntas omnium  
quidem contractuum universalis anima  
& spiritus est, sed ut hi specie differant,  
quidam rem, quidam solennia verba,  
alii vero literas pro sua forma requirunt.  
Hoc loco de illis acturi sumus, & qui-  
dem cursim, qui solo constant consen-  
su, apud omnes moratores gentes æque  
observati; uti sunt, emptio venditio,  
locatio conductio, societas, mandatum, *in princ. Inst. de Oblig.*  
*ex Consensu.*

A 2

II. Quum

#### 4 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

##### I I.

Quum hujus consensus certa sint indicia , verba , literæ , nutus ipse , homo alter , qui alterius interpres esse potest ; ac quandoque factum aliquod voluntatis intimæ signum sit ; non mirum est inter absentes , nempe per epistolam , nuncium , hujusmodi obligationes contrahi . Eas quoque ad judicia bonæ fidei summo gradu pertinere , eo quod juris gentium sint , & pingue naturam ob humana commercia possideant , ita ut ex æquo bono alter alteri id cogatur præstare , de quo nec dictum est , nec cogitatum , rectæ rationis esse videbatur . *V. Vinn. b.t.*

##### I I I.

Emissio venditio contractus est , quo merx pro certo pretio in alium transfertur : hæc perfecta quidem , ut primum de merce & pretio convenit , sed nondum consummata est , nisi re traditâ , & pretio numerato : unde per se videtur sequi , venditorem , qui tradendipotestatem habet , rem præcisè tradere debere ; neque liberari , solvendo interesse , ac magis dare cum quam facere oportere ; quamvis multi DD. hac in parte dissentiant .

##### I V.

Patet insuper , res naturâ , gentium jure , vel civitatis legibus commercio exemptas , frustra emi vendi , quum transferri nequeant : præterea emptione perfectâ , ei invito adversario renunciari non posse , imo nec cum arrharum jacturâ , aut eaurum duplicatione ; arg. l. 5. C. de oblig. & act. l. 3. C. de rest. vend. l. 1. & 2. G. quando lic. ab emp. disc. aliud de arrhis dicendum , ubi quis emptionem venditionem institutam & celebrandam recusat perficere , vel adimplere . *V. princ. Inst. de empt. vendit.*

*V. Per-*

I N A U G U R A L I S.

V.

Permutatio, quā merces ejusdem speciei, ex reciproco placito, vice mutuā funguntur, veluti, si arma cum armis, libri cum libris forte commutentur, non est emptio venditio dicenda, quum in illa emptor à venditore, pretium à merce non possit distingui; quod tamen non impedit, quo minus antiquae permutationes variarum specierum, citra nummos, emptiones, venditiones fuerint; nam unum animus suæ rei distrahendæ venditorem, alium animus alienæ rei habendæ emptorem fecit: *V. eund. Vinn. egregiè ex doctissimo Salmasio differentem eod. tit. Inst.*

V. I.

Locatio Conductio id agit, ut pro usu alienæ rei vel operæ certa merces præstetur: Locator est, qui, mercede constitutâ vel rem utendam alicui concedit, vel in operis præstandis se offert: Conductor autem, qui hoc casu rem utendam accipit, vel in operis placitum offerentis suscipit. *l. 13. §. 1. ff. locat. Conducti:* Operarum igitur, quæ mercede æstimari non solent, sed remuneratione, vel honorario compensantur, ut in Advocatis, Medicis, Philosophis, & aliis, qui ingenio, fide, eloquentiâ, liberali arte Rei publicæ prosunt, nulla est locatio: & quia pecunia numerata hodie omnium rerum, quæ in commercio, sunt, communis æstimatio est, recte placuit, non absolute in rebus fungibilibus, sed in nummis rerum & operarum mercedem ponit. *l. 1. §. 2. ff. depos. l. 5. §. 2. ff. de praesc. verb.*

V. I. I.

Affinis est huic contractui Emphyteusis, ubi prædium à Domino perpetuò fruendum traditur, sub certâ pensione singularis annis solvendâ. *§. 3. Inst. de locat. Cond. l. 1. ff. se ager vetig.*

## DISPUTATIO JURIDICA

vectig. In hac emphyteuta, inscio & invito Domino, donandi, permutandi facultatem habet, *Nov. 7. Cap. 1. 16. & l. 71. §. ult. ff. de legat.* 1. non autem vendendi, nisi oblatâ prius Domino emendi prærogativâ, quâ ille intra duos menses uti potest; *juxta l. 3. de jure emphyteut.* quamvis apud nos vendendi, ut dohandi, facultatem habeat, solo jure retractus Domino, intra annum, ex quo venditionem scire cœpit, salvo. *Neostad. supr. cur. Holl. decis. 39. Consuet. Rhen. art. 40.* Sed ea omnia ex jure civili, & speciali more, non gentium.

### VIII.

Societas inter aliquos, rès aut operas communicat, in commune lucrum; *l. 1. Toto tit. ff. pro Socio.* quæ proinde vel in bonis universis, vel eorum parte, vel in certa negotiatione, vel in una quadam re constare potest, *l. 5. in pr. ff. eod.* Qui in communionem incident, absque voluntario consortio, vel qui commune lucrum non habent pro fine, hunc contractum inter se non ineunt,

### IX.

Partes lucri & Damni possunt inter socios esse inæquales, si ita convenerit, quamvis pars omnium collatio sit, ut ex adverso æquales, ubi collatio est impar; *§. 1. 2. Inst. de societ. l. 30. in fin. ff. pro socio, l. 1. C. eod.* sed si nihil dictum sit, postulat æquitas, ut quisque pro collatae fortis ratione, lucrum habeat, *arg. l. 6. & l. 80. ff. eod.* Iniqua vero Leonina societas, ex qua socius unus solum damnum absque lucro expectat, *l. 29. §. 2. ff. eod.*

### X. Datur

## X.

Datur hujus contractus præ cæteris proprietas ; quod ab eo, post quam res integra esse desit , & jam rerum vel operarum vera collatio & communicatio sit facta , unius voluntate mutata posse recedi : §. 4. Inst. de societ. l. 63. in pr. ff. cod. & hæc quidem introducta ex tacita gentium lege , ut discordiæ , quæ facile inter non consentientes excitentur , hoc modo præcaveantur. Recessus tamen hic injuriâ carere debet , nisi renuncians velit esse damni particeps , sed non lucri. d. §. 4. Inst. & l. 65. §. 3, 5. ff. pro socio.

## X I.

Mandatum ultima ex contractibus obligatio est , consensu inita , quo aliquid gratis gerendum committitur , & suscipitur. l. 1. & tot. tit. ff. & C. mandat. Suscipiens onus est , rem consummare , Mandantis , suscipientem indemnem servare. Huic actio directa , illi contraria tribuitur. Quod mandatarii tantum gratia interpositum est , mandatum videtur ; reverâ tamen solum consilium est , neutiquam obligatorium. l. 47. ff. de R. F. junct. l. 2. §. ult. ff. b. r. §. 6. Inst. cod. nisi consultor indemnitem promittat , consultum de futuro lucro certum reddat ; vel nominatum tertii gratiâ mandet. l. 6. §. 4. 5. l. 32. in pr. ff. mand. §. 6. Inst. eod.

## X II.


Uti mandatarius non excedit fines mandati , nisi suo periculo , & amissâ actione de impensis contrariâ ; l. 5. & l. 33. & l. 36. §. 2. ff. mandati , l. 12. C. eod. ita mandanti conceditur ,

ut

8 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

ut possit , absque mutuo consensu , re tamen integrâ , suum mandatum revocare . §. 9. *Inst. eod.* l. 12. §. pen. l. 15. ff. *ead.* Imò , post quam res integra esse desit ; quamvis tunc mandatarius ex ante gesto habeat actionem mandati , ut , quod propter mandatum sibi abest , consequatur , ne officium suum sibi sit damnosum . l. 15. & l. 26. ff. *ead.*

F I N I S.



LIX